aliud sentiebat quam loquebatur. Corrupti sunt. id est depravati sunt iudei. depravantes & corrumpentes scripturas xpm predicentes.
E t abhominabiles facti sunt. id est deiecti & despicabiles in oculis dei. Abhominatio quippe est. nimia abiectio. quando ita quis despi
citur ut nec homine dignus iudicetur. Sed ipsum verbum quod est abhominor ab eo quod est homo componitur. In studiis suis. id est in actibus t.
etiam cupiditatibus & desideriis. quibus terrena tantum diligebant. Non est qui faciat bonum. Querit quidem quod dicat. non est qui faciat bo
num. cum multi sanctorum bonum fecerunt. Numquid enim abraham bonum non fecit. quando secutus est dominum & eo precipiente de terra cognationis sue
exivit. quando etiam ei unicum filium suum immolare voluit. sic & multi sanctorum bonum fecerunt. Ad quod dicendum: quando xpc in mundum
venit. non pauci erant electi. qui bonum faciebant. sed tanti erant mali. ut pene nec esse viderentur. Sed potest & ita intellegi.
Non est qui faciat bonum. ut intellegamus omnem iusticiam & virtutes sanctorum nihil videri. comparatas illi summe bono & eternaliter iusto.
De quo scriptum est. Non est qui faciat bonum. non est usque ad unum. id est usque ad xpm. Dominus de celo prospexit super filios hominum. Dominus id est deus pater.
respexit super iudeos si forte cognoscerent divinitatem filii sui. in assumpta humanitate latentem. Filios enim hominum apellat iu
deos. ex stirpe patriarcharum descendentes quasi rationabiles. ut pote legem & prophetias legentes. Nam cetere gentes idolis immo
lantes. brute quedam animalia erant. Nec insuper esse in conspectu dei iudicabuntur. dicente esaia. Omnes gentes quasi non sint. sic sunt coram deo. Deus
enim solus vere & summe est. a cuius esse. omne nostrum esse descendit. Unde quicquid autem ab hoc esse defecerit. subsistere non poterit. Ut videat si est
intellegens. Divinos nihil refugit aspectus. quin omnia presentia. preterita & futura penetret. Sed videre deus dicitur ideo. quod alios videre fa
ciat. sic & cognoscere. Iusto dei iudicio dampnatos iudeos. quoniam dominum in homine latentem intellegere noluerunt. Aut ut requirens deum. id est
precepta eius adimplere studens. Sepulchrum patens est guttur eorum. id est iudeorum verba. In gutture enim formatur vox. que labiis profertur.
G utture ergo iudeorum intelligit. id est verba sepulchrum patens sunt. quia ad nihil aliud ora aperiunt. nisi ut xpo detraherent. Linguis suis dolose
agebant. cum dicerent. magister scimus quia verax es & cetera. Venenum aspidum. id est mortale & periculosissimum. Aspis enim genus serpentis
est. Cuius virus incurabile. constat fore. huius hec fertur natura. ut dum incantatur unam aurem terre applicet. Aliam cauda obturet.
ne verba incantantis audiat. & venefici incantantis sapientis. Similiter ergo modo obturant aures iudei. ne verba xpi boni incantat
oris exaudirent. Xpc quippe suis predicationibus velut quibusdam precantationibus mentes auditorum de malo ad bonum convertebat.
S ub labiis eorum. id est in corde eorum. Cor enim sub labiis est. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Maledictio perti
net ad blasphemias. quibus iudei male de xpo loquebantur. sicut est. Nolumus hunc regnare super nos. & non habemus regem nisi cesarem.
A maritudo pertinet ad ea que de ipso in corde male conceperant. Veloces pedes eorum. id est festini ad effundendum sanguinem.
id est ad interficiendum xpm. Nam ei mortem. de qua male tractaverant. velociter adimplere cupiebant. Contricio & infelici
tas. Contricio pertinet ad dolorem quo attriti sunt in romana obsidione. xl· ii· anno passionis dominice. Infelicitas ad eiusdem
calamitatis pertinet miserias. Quibus scilicet sub tito & vespasiano affecti sunt. in viis eorum. id est in actionibus. Et viam pacis non
cognoverunt. id est xpm. qui de semet ipso ait. Ego sum via. Ipse est enim via. que nos ad patriam reducit sola. Ipse etiam quia pax. pacificans
omnia que in celis sunt. & que in terra. hanc viam nescierunt iudei ideoque ad patriam redire nequiverunt. Non est timor dei. ante oculos eorum.
T imor dei patris non est ante oculos. id est in mente ipsorum. quoniam videlicet scripturas eius filium predicantes contempserunt. Nonne cognos
cent omnes. qui cognoscunt inferi sudet in gens. Quoniam dominus in generatione iusta est. Due enim sunt generationes. una malorum.
altera iustorum. ad quam videlicet dominus accessit. Est ergo sensus. Cum inquit infideles & penitentes iudei ceperint affligi. mani
festum erit quod dominus ab eis ad electos transierit. Legimus enim quoniam imminente iam dicta obsidione. admoniti sunt fideles ut
transirent de iudea ad regnum agrippe. quo in tuti securi possent latitare. Qui devorant plebem meam sicut escam panis.
I udei videlicet nimium cupiebant. plebem xpi manum perdere. ac si famelici panem. ut quecumque cibum unde cupit manduca
re. Dominum non invocaverunt iudei videlicet iam obsessi. multisque tribulationibus afflicti. dominum non invocaverunt. id est auxilium eius non inqui
sierunt. etiam cum esset contricio & infelicitas in viis eorum. Illic trepidaverunt timore. ubi non erat timor. id est timuerunt. in quo timendum non
erat. ne scilicet amitterent regnum. locum. & gentem si in xpm crederent. iuxta quod ipsi dicebant. Si dimittimus eum sic
omnes credent in eum. & venient romani. & tollent nostrum locum & gentem. Timuerunt ergo ut dictum est. ubi non erat timor. Perdere xpm
scilicet regnum perdere. Cum utique si in eum credere voluissent. eterno regno feliciter regnare possent. Quoniam deus in generatione ius
ta est. id est in electis & infidelibus. Consilium inopis confudistis. Alii codices habent confudisti. id est oppte iudaice. id est confundere
voluisti. Si autem confudistis legatur. subaudiendum est. o iudei. Inopem apellat xpm. quia cum esset dives. propter nos humilis voluit
apparere. Consilium autem ei fuit. ut genus humanum redimeret. quod consilium conati sunt impedire iudei. sed non valuerunt. Quis dabit